



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Parallela Geographica Italiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

Nvm. 3. Qualitas Campaniæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13120

NUM. 2. *De incolis Campaniæ.*

CAMPANI origine sunt Samnites, sed ab hoc nomine recesserunt, inquit Strabo: qui addit hanc regionem quondam fuisse Ausonum, & Opicorum; Cumanos etiam eò appulisse ex Chalcide, item & Tuscos qui 12. vrbes condiderunt, quorum erat caput Capua. Hos autem mollitiæ diffuentes, & luxu eiectos esse à Samnitibus. Porro Campanorum nomen adsciuerunt sibi Samnites illi, vt ait Liuius V. C. 332. vt auctor Olympiadum Olym. 85. an. 3. Igitur V. C. 315. quod sequenti anno factum esse putat Diodorus Siculus. Quomodo autem illi populi pro Dionysio Sicilia Tyranno militarint, & occuparint perfidè vrbes aliquas, ex eodem Diodoro edisces.

NUM. 3. *Qualitas Campaniæ.*

AGER hic omnium fertilissimus Straboni πεδίων εὐδαιμονίστατον; Polybio nobilissimus ager Italiæ καὶ ἀγὸς τῆν ἀρετήν, καὶ ἀγὸς τὸ κάλλος ob amantatem, & pulchritudinem, quod etiam ait Liuius. Apud Tullium ager Campanus dicitur Romanis annonæ perfugium. De eius fertilitate multa Strabo lib. 5. & Dionys. lib. 1. Vnguenta Campaniæ post Ægyptiaca famosissima sunt Plinio, quare Capuæ vicus Seplasiæ vnguentariorum. Ideo in hoc agro delitiis emollitus Annibal ac tandem fractus est, vt ait Seneca.

NUM. 4. *Fines Campaniæ.*

OLIM Campania dirimebatur ab agro Falerno per Vulturnum Fl. Sed cùm Romani hac regione potiti essent, voluerunt Lirim Fl. esse communem Latij, atque Campaniæ terminum, sic tamen vt quædam Latij vrbes, & loca limitem illum transcendere.

FINES ergo hi vulgò statuuntur: ab Occidente linea ducta à Sinuessæ Bagni, per montem Massicum Monte Dragone ad Apenninum, quâ disiungitur à Latio; præterea Vulturno Fl. separatur à Samnio; item ab eodem à Septentrione Apennini exigua parte Caudinisque montibus dispescitur; ab Oriente Hirpinis connectitur; à Meridie denique mari Infero alluebatur, cuius tractus partem Picentini obtinuerunt.